

N. 31. 78 L 9637 [42]

Q. B. V.
S E N A T V S
C I V I T A T I S
H A L L E N S I S
C O N R E C T O R E M

ET SIMVL
T E R T I V M E T Q V A R T V M
C O L L E G A S G Y M N A S I I

D. XII. SEPTEMBR. HORA II. POMERIDIANA
R I T E I N A V G V R A N D O S

INDICIT
I N T E R P R E T E
M A T T H I A F R I D E R I C O G A D E N

SCABINATVS IN DVCAT. MAGDEB. ADSESSORE CIVITATIS
SYNDICO ET GYMNASII SCHOLARCHA.



HALLAE,
L I T T E R I S F R A N K I A N I S.

25



SENATUS
CIVITATIS
HALLENSIS
CONRADI TORREMI



Kapitel 78 L 1637 [42]

MATTHEO GADEN

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





Q. B. V.



§. I.

quem dedicatæ ab se bibliothecæ titulum Aegypti rex, Osymandyas, addidit, *Ψυχῆς ἰατρῆιον, animi officina medica* a): is vero non in bibliothecam solum, sed multo etiam magis in *scholam* mihi convenire videtur. Habent enim hoc omnino monumenta veterum; ut animum non doctrinis tantum ac præceptis salubribus instruant, sed etiam

A 2

ina-

a) STRUV. *notie. rei litt. c. II. §. 7. Allgemeine Welt-Historie T. I. §. 623. p. 514* seqq. ROLLIN. *Histor. alter Zeiren und Völker*, P. I. p. 138 sq.

III

imaginibus sapientissimorum virorum expressis mentem lectorum ipsa
 cogitatione hominum excellentium conforment. Dum igitur intel-
 ligendi vim optimarum rerum cognitione implent, dum facienda ac
 vitanda præcipiunt, dum virtutis et officii, et bene viuendi discipli-
 nam tradunt: dubitari non potest, quin *medicinam* adferant *animi*,
 qua vires eius mirifice recreantur ac reficiantur. Merito proinde et
 iure optimo *SENECA*, „nisi ingratis-
 „mi sacrarum opinionum conditores nobis nati sunt, nobis vitam præ-
 „parauerunt. Ad res pulcherrimas, ex tenebris ad lucem erutas, a-
 „lieno labore deducimur: nullo nobis sæculo interdictum est: in o-
 „mnia admittimur: et si magnitudine animi egredi humanæ imbecil-
 „litatis angustias libet, multum, per quod spatiumur, temporis est.
 „Disputare cum Socrate licet, dubitare cum Carneade, cum Epicuro
 „quiescere, hominis naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis exce-
 „dere, cum rerum natura in consortium omnis æui pariter incedere.
 „ - Hos in veris officiis morari licet dicamus, qui Zenonem, qui
 „Pythagoram quotidie, et Democritum, ceterosque antistites bonarum
 „artium, qui Aristotelem et Theophrastum volent habere quam fami-
 „liarissimos. Nemo horum non vocabit, nemo non venientem ad
 „se beatiorum, amantiorumque sui dimittit, nemo quemquam vacuis
 „a se manibus abire patitur. Nocte conueniri, et interdium, ab omni-
 „bus mortalibus possunt. Horum nemo annos tuos conteret, suos ti-
 „bi contribuet: nullius ex his sermo periculosus erit, nullius amicitia capi-
 „talis; nullius sumtuosa observatio. Feres ex his, quidquid volēs: per il-
 „los non stabit, quo minus, quantum plurimum ceperis, haurias. Quæ il-
 „lum felicitas, quam pulchra senectus manet, qui se in horum clientelam
 „contulit! Habebit, cum quibus de minimis maximisque rebus deliberet,
 „quos de se quotidie consulat, a quibus audiat verum sine contume-
 „lia, laudetur sine adulatione, ad quorum se similitudinem effingat.
 „Solemus dicere, non fuisse in nostra potestate, quos sortiremur
 „parentes: forte nobis datos. Nobis vero ad nostrum arbitrium nas-
 „ci licet. Nobilissimorum ingeniorum familiarum sunt. Elige, in quam
 „adscisci velis: non in nomen tantum adoptaberis, sed in ipsa bona:
 „quæ non erunt fordide nec maligne custodienda; maiora fient, quo
 „illa pluribus diuideris. Hi tibi dabunt ad æternitatem iter, et te in il-
 lum

„lum locum, ex quo nemo eiciet, subleuabunt: hæc vna ratio est extendendæ mortalitatis, immo in immortalitatem vertendæ b). „ Idem de veteribus sentit FABIVS. „Illis enim, inquit, hæc inuenienda fuerunt, nobis cognoscenda sunt. Tot nos præceptoribus, tot exemplis instruit antiquitas: vt possit videri nulla forte nascendi ætas felicior, quam nostra, cui docendæ priores elaborauerunt c). Quare dubium non est, quin lectione veterum animi possint erudiri.

§. II.

Sed quæ leguntur tantum, minus mouent, citiusque, nescio quo modo, effluunt animo, quam quæ viua voce percipiuntur. Fortius imprimuntur, fidelius custodiuntur, firmitusque ac diutius hærent, atque ad animum penetrant, quæ auribus simul committuntur. Vt medico sæpe in rem præsentem veniendum, vt percontando atque interrogando indoles morbi elicienda est, vt singula momenta noscenda, atque ætatis, naturæ, ingenii, vitæ aliarumque rerum innumerabilium ratione habita diuersis diuersa imperanda sunt: sic animi quoque remedia personis, locis et temporibus aptanda sunt. Illud igitur inter *bibliothecam* et *scholam* interest, quod illic *mortui*, hic *viui*; illic *muti*, hic *eloquentes*; illic *generalia* præcipientes, hic *specialia*, animis medentur. Vtroque beneficio Dei pariter gaudendum est. Vtrumque enim per se indigens, alterum alterius auxilio eget. Quanti igitur ciuitatis interest, in magna ægrotantium multitudine bono vti medico: tanti refert, scholam habere optimis legibus et institutis temperatam, ac peritis præceptoribus abundantem. Neque enim ibi animorum modo remedia præsto sunt, sed medicetiam, qui cito, tuto ac iucunde ægras ac vitiosas animi partes corrigunt ac sanant. Quod vt plenius dilucidiusque cognoscatur, dabo iam operam, vt scholas *mentium* esse *officinas medicas* adpareat.

b) de *breuit. vit.* c. XIII. XV.c) *instaur. orator.* L. XII. c. XI. n. 22.

Non egent fani medico, sed ægri: animus autem non vna ægritudine laborat; curandus igitur est. Quod si tales nos natura genuisset, quales in prima rerum origine optimus genitor homines procreauit: præclare actum esset cum genere humano; ipsaque natura optima duce cursum vitæ conficere, atque ad beatam vitam peruenire possemus. „Nunc paruulos nobis, ipso TULLIO fatente, reliquit „igniculos, quos celeriter, malis moribus opinionibusque deprauati, „sic restringimus, vt nusquam naturæ lumen adpareat. Simulatque „enim editi in lucem, et suscepti sumus, in omni continuo prauitate, „et in fumina opinionum peruersitate versamur: vt pæne cum lacte „nutricis errorem fuisse videamur d). „ Quid enim tam humanum est, quam nescire, errare, labi, decipi? Quid tam naturale, quam a recto tramite ad denia deflectere? Quid tam proprium, quam et de deo rebusque diuinis minus recte sentire, et in officiis tuendis alucinari, et in fugiendis adpetendisque rebus titubare? Quid contra tam alienum ab homine, quam nusquam offendere, nullam in partem sibi deesse? Quis tam acute cernit, vt vanis opinionibus non aliquando rapiatur in errorem, vt semper vera peruideat? Quem non aliquando ratio fugit? Sed sunt hæc quidem ita multa, quibus humanæ mentis imbecillitas se manifestat, mala, vt verendum sit, ne verba deficiant ei, qui singulorum nomina percurrere conetur. Sci- licet

*Quem mala stultitia, et quemcumque incittia veri
Cæcum agit, insanum Chryssippi porticus et grex
Autumat.*

Velut fluis, vbi passim

*Palantes error certo de tramite pellit;
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit; vnus utrique
Error, sed variis illudit partibus e).*

Quare

d) Tuscul. quæst. L. III. c. 1.

e) HORAT. Serm. L. II. Sat. III. 43-46. 49-51.

Quare dubium non est, quin omnium hominum animi morbis, iis que variis ac dissimilibus laborent. Nisi forte, quod animi morbum corpore non sentimus, idcirco morbis eum vacare putamus. Est enim dissimilis ratio morborum animi et corporis. Corporis quippe morbus animo sentitur: animus autem, qui de se ipse indicat, ægrotat. Ita fit, ut improbus sui amor iudicium mentis corrumpat. Deinde quia id genus mala omnibus hominibus innata sunt, ita consuetudine eorum obduruit animus, ut omnem fere sensum amiserit: plane uti gens ea, quæ Catadupa accolit, propter magnitudinem et aduetudinem sonitus Nili, ex altissimis montibus præcipitantis, sensu audiendi priuata esse dicitur. Accedit, ut quam plurimos sua mala delectent, et delirare haud pauci, quam sapere malint.

§. III.

Dictis fidem facient exempla. Audiamus igitur HORATIVUM narrantem:

*Fuit haud ignobilis Argis,
 Qui se credebat viros audire tragædos,
 In vacuo letus fessor plausorque theatro;
 Cetera qui vitæ seruaret munia recto
 More; bonus sane vicinus, amabilis hospes,
 Comis in uxorem, posset qui ignoscere seruis,
 Et signo leso non insanire lagena,
 Posset qui rupem et puteum vitare patentem.
 Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus,
 Expulit belleboro morbum, bilemque meraco,
 Et redit ad sese: Pol, me occidistis, amici,*

Non

VIII

*Non seruastis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et dentus per vim mentis gratissimus error f).*

Idem siue de eodem, siue de alio, quod videtur, dementiae exemplo Abydi obseruato, commemorat ARISTOTELES de *mirabilibus*. „Fe-
„runt, inquit, Abydi quemdam emotæ mentis in theatrum vacuum
„progressum, multos illic dies, tamquam in eo essent histriones,
„adplausisse atque admirandum adclamasse: ceterum menterecep-
„ta dixisse; suauis se numquam, atque illo tempore vixisse g). Si-
milis insanix morbus Thrasyllum inuasit Atheniensem. Hic vrbe
relicta in Piræum descendens cunctas naues in portum prouectas tabu-
lis inferebat, vt suas, vehementer gaudens, si quæ mercibus bene o-
nustæ incolumes rediissent. Exoneratas etiam rursus dimittebat.
Tandem fratris e Sicilia aduentu medico traditus, multorum annorum
amentia liberatus est. Is igitur post ea numquam se cumulatiùs gau-
dium percepisse aiebat, quam quum vidisset naues saluas in portum
deferri, quæ tamen ad se nihil pertinerent h).

§. V.

Tanta præter ea hominum est malignitas, vt, quæ ex se
proueniunt mala, rebus extra se positis tribuant. Nemo sibi cæcus,
nemo lippus, nemo male sanus videtur: sed causam sui quisque mor-
bi extrinsecus quærit; non secus, ac febriculosi, quum graui æstu iac-
tantur, immoderatis aëris caloribus eundem adscribunt. Iade fit, vt
raro in se ipsi descendant miseri mortales, sed alia potius omnia in-
cuserent, ipsique benignissimo numini dicam scribant: quod merito
deorum hominumque pater apud HOMERVM conqueritur i).

Præclare

f) Lib. II. *epist.* II. 128 seqq.g) *περί θαυμασίων ἀνοσμάτων* p. m. 1087.h) AELIAN. *V. H. L.* III. c. XXV.i) *Odys.* L. I. 32, 33, 34.

Præclare et adposite ad fidem faciendam SENECA, „quædam vitia,
 „inquit, locis et temporibus adscribimus: at illa, quocumque transcri-
 „mus, secutura sunt. Harpasten, vxoris meæ fatuam, scis heredita-
 „rium onus in domo mea remansisse. Ipse enim auersissimus ab istis
 „prodigijs sum. Si quando fatuo delectari volo, non est mihi lon-
 „ge quærendus: me rideo. Hæc fatua subito desiit videre. Incredi-
 „bilem tibi narro rem, sed veram. Nescit esse se cæcam: subinde pæ-
 „dagogum suum rogat, vt migret: ait, domum tenebrosam esse. Hoc,
 „quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere, liqueat tibi. Nemo
 „se auarum esse intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quæ-
 „runt: nos sine duce erramus, et dicimus: non ego ambitiosus sum,
 „sed nemo aliter Romæ potest viuere. Non ego sumtuosus sum,
 „sed vrbs ipsa magnas impensas exigit. Non est meum vitium, quod
 „iracundus sum, quod nondum constitui certum genus vitæ: adolescen-
 „tia hæc facit. Quid nos decipimus? Non est extrinsecus malum nos-
 „trum: intra nos est, in visceribus ipsis sedet. Et ideo difficulter ad fanita-
 „tem peruenimus, quia nos ægrotare nescimus. Si curari cœperimus, quan-
 „do tot morbos, tantasque ægritudines discutiemus? Nunc vero ne quæ-
 „rimus quidem medicum: qui minus negotii haberet, si adhiberetur
 „ad recens vitium, sequerentur teneri et rudes animi, reclusa monstnan-
 „tem k). „ Harpastes exemplo aliud adiungit MURETVS. „Si-
 „mile quiddam notauit, ait, in amico quodam meo, homine erudi-
 „tissimo, qui quum ætate (est enim octogenario maior) surdaster effec-
 „tus sit, hoc tamen in se vitium non agnoscit, sed vere ac serio con-
 „queritur, pessimam consuetudinem inualuisse: homines multo sub-
 „missius loqui, quam solebant, ita, vt videantur vereri, ne intelli-
 „gantur l). „ Itaque si recte ratiocinari volumus, existimare debe-
 „mus, animi morbos tanto esse grauiores ac perniciosiores, quanto mi-
 „nus illi sentiuntur. Initium enim sanitatis est, notitia morbi: contra
 „ignoratio eius facit, vt nec desideretur medicina, et morbus diuturni-
 „tate temporis inualescens nulla tandem medentium arte superari pos-
 „sit. Atque nisi nostræ imbecillitati adsentari volumus, illud ipsum,
 „quod animus se ægrum esse non sentit, indicio est, corruptum eius
 „esse iudicium, atque ob id ipsum grauius ægrotare. Etenim sicuti

B

corpus

k) *Epist. L.*l) *l. c.*

corpus, ita adfectum, vt officio suo desit ac muneris, ægrôtare dicitur: ita animus, quum ad exsequendum munus suum ineptus est, sanus vocari non potest. Munus autem animi est, *ratione bene vti*: quam qui sequitur, is cum opinione et errore, tum perturbationibus vacat. Lumen enim mentis est *ratio*: quo qui gaudet, is nunquam desipit profecto.

§. VI.

Sed vt ingenue fateamur, ipsa illa ratio hominibus non natura inest, verum vsu, consuetudine et cultura comparatur. Prodeat in scenam puer, quem, vt cum LVCRETIO loquar,

primum in luminis oras

Nixibus ex aluo matris natura profudit,

qui,

vt scuis proiectus ab undis

Nauita, nudus humi iacet, infans, indigus omni

Vitali auxilio m). Quid, quæso, inter hominem, quamuis feliciter natum, et feram interest? Si homo animal est rationis particeps: scire velim, vbi lumen eius in puero nascente adpareat. Siue enim pro naturali potentia et facultate eam habemus; quæ est illa potentia, quæ nunquam sine doctrina vim suam ostendit? siue pro actu; quo modo vsus eiusdem proditur? Remoue enim eiusmodi infantem ab hominum consortio, seiunge illum ab auxilio omni, in filuas abde, ad brutas mutasque animantes adgrega: an, dum isto modo inter feras ætatem agit, vniquam ratione vti discet? Non magis, mihi crede, quam sermone. Quem ad modum igitur omnem sermonem auribus primum accipimus: ita etiam conuictu et consuetudine hominum rationis vsum consequimur. Sed fit sane ratio in homine natura: quantilla eius, quæso, particula esse existimabitur? Vsus accedat oportet

m) LVCRET. L. V. 225, 226, 229 sqq.

oportet, et imitatio et exercitatio, quæ res etiam animantibus ceteris, ut fermonis, sic rationis quoddam simulacrum exprimunt quasi et extendunt n).

§. VII.

Theophrastus moriens accusasse naturam dicitur, quod ceruis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset; hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut, omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. Que-rebatur igitur, se tum, quum illa videre cœpisset, exstingui o). Iam si viris, quibus omnis fere vita in sapientiæ studio consumpta est, si optimo, si doctissimo cuique confitendum fuit, multa se ignorare, idque se vnum scire, quod nihil sciret: quid de semidoctis, quid de indocto atque indocili vulgo dicendum erit, quod ne punctum quidem temporis mentem cogitationemque hominis sapientis susceperit? Omnium consensu prima hominum ætas usu rationis caret: ac plena mens est caliginis et tenebrarum. Eam necesse esset in summa rerum omnium ignoratione manere perpetuo: nisi doctrinæ lumen accederet. Quem ad modum vero noctis tenebræ paullatim solis aduentu minuuntur, ac primo cælum albere, deinde aurora spargere lucem terrisque impertire occipit, donec sol exortu suo omnia collustrat: ita res homini circumiectas, suoque impulsu corpus ferientes mens dum sensim percipit, earumque quasdam quasi imagines format: fit, ut rudem tamquam et indigestam cogitandi materiam acquirat; quæ gradatim aucta, et maiori luce perfusa ad eam claritatem euehitur, ut res sua natura diuersas internoscere signisque certis discernere possit. Quantum opus, quantus labor est, obscuritatem propulsare, confusamque rerum notitiam in lucidiorem conuertere, et hanc denique in absolutam omnibusque suis numeris expletam commutare! Quot periculis a vero aberrandi animus, res externas sensibus percipiens, sub-

B 2

iectus

n) Conf. omnino *SENEC. epist. CXXXIII.*

o) *CÆC. Tuscul. quæst. L. III. c. XXVIII.*

XII

iectus est! Quot res vidisse, auduisse, alioque sensu vsurpasse animus sibi videtur, quas numquam vidit, audiuit, alioque modo hausit! Quam difficile porro est, suis res quasque vocabulis insignire, et sic loqui, ut, qui nos audiunt, intelligant, sic loquentes alios audire, ut ipsi, quid dicant, intelligamus, neque sonos inanes, nubem pro Iunone, amplectamur! Quam multiplex et varius est animi lapsus in ratiocinando! Quam sæpe accidit, ut adpetamus nocitura, auersemur autem et horreamus, quæ naturæ nostræ consentanea sunt! Videmus ergo meliora et probamus: deteriora fere sequimur. Iam vitiorum prauarumque cupiditatum tam copiosa seges in animis hominum nascitur, ut exstirpandis iis tota vita non sufficiat.

§. VIII.

Tantis malis medicina repræsentatur in *scholis*. Doctrina enim tam, quod naturæ deest, explet, quam, quod in ea vitiosum est, expellit. Nam boni præceptoris est, primum formare liberorum intelligentiam, eamque veri notionem imbuere. Itaque tum ea, quæ de deo cognoscenda sunt, tum quæ in hominum vita commode degenda ignorari non possunt, proponit, rerumque diuinarum et humanarum cognitione animos rudes instruit. Docet is, mundum propter hominem, hominem propter deum esse: hunc agnoscendum ex operibus absolutissimis, hunc colendum pietate et sanctitate, hunc imitandum, hunc denique sequendum esse. Docet porro, naturam hominis a primo rerum omnium effectore creatam quidem illam integram esse, sed primorum parentum culpa ingens detrimentum accepisse, viresque eius non mediocriter labefactatas. Docet postremo, quum tanta esset et infirmitas et vanitas humana, ut, quæ rectæ rationi conueniunt, aut sero discat homo, aut ægre teneat, aut raro videat, deum O. M. pro singulari ac mirifica bonitate sua peculiarem et longe angustiorem benevolentiam humano generi nauasse, dum gratiosam quamdam lucem aliam, quæ caliganti naturæ in rerum diuinarum cognitione subsidio esset, in nostris religionibus nobis accendit, et ab omni æuo inaudita mysteria publicauit, quibus initiati, atque illustrati,

ti, pleniore scientia ac doctrina de deo instruemur, vt non tantum in hac vita, sed etiam in futura, vltimum illud rerum expetendarum, hoc est, cumulatam secretis malis omnibus bonorum complexionem consequamur. Incredibile dictu est, quantum referat, statim a paruulo talibus adsuescere, ante quam malæ consuetudinis corruptela diutinitus datos igniculos exstinguit, et morbi contagio totum animum tamquam diutina pestis inficit. In restum facilius reuocantur quamuis flexæ arbusculæ, quam annosa robora: et animus nondum induratus, in modum ceræ, quamcumque formam accipit. „Natura enim, „inquit FABIVS, tenacissimi fumus eorum, quæ rudibus annis percipimus; vt sapor, quo noua imbuas, durat: nec lanarum colores, „quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt p). „

Omitto *linguarum* notitiam, quibus omnis eruditionis adparatus continetur; *rhetoricen, pœsin, descriptionem orbis terrarum, rerum ab condito mundo gestarum enarrationem, philosophiam* vniuersam, ac *theologiam*: quibus rebus omnibus mentes humanæ egregie perficiuntur. Quid de *ingenio*, quo comparamus similitudines, quid de *memoria*, fidissimo illo rerum perceptarum promo condo dicam? quæ facultates quem ad modum assiduo cultu nitescunt: ita negligentia quasi rubigine consumuntur.

§. VIII.

De ceteris *intelligentiæ* morbis sanandis dicere singulatim nihil attinet, quum ea de re *Logica* præcipiat: igitur ad adpetendi facultatem, quam vulgo *voluntatem* nominant, pergam. Hinc com-

B 3

motiones

p) QVINITIL. *Inss. oras. L. I. c. I. n. 5.*

XIII

motiones: nimirum cupiditatesque proficiscuntur: quæ si naturæ humanæ ac rationi semper consentaneæ essent, præclare nobiscum ageretur, ac certa felicitatis esset possessio. At enim vero ita fere repugnantes eas deprehendimus, ut, nisi equis velisque quasi obnitamur, easque tamquam equos feroces et indomitos in gyrum rationis omni contentione redigamus, in summæ miseræ barathrum nos præcipitent. Quid enim his potest esse miserius, qui crebris animi perturbationibus agitantur; qui nunc spe, nunc metu concitantur, qui nunquam dolore, ira, odio, pœnitentia, vacui sunt; qui denique ita de recto mentis flatu deiciuntur, ut non procul absint ab insania? *Cupiditatum* porro genera, quæ innumerabilia sunt, ad tria autem commode reuocari possunt, *gloriæ*, *diuitiarum* ac *voluptatis*, tantam vim habent in perturbandis hominum animis, ut nunquam homines quietos, nunquam forte sua contentos esse patiantur. Igitur ut mala hæc, et alia innumera ex animis depellantur, sanitasque, quod homini maxime optabile est, procuretur: medicina scilicet ex litteris humanioribus et philosophia petenda est.

§. X.

Magnam omnino ad curationem animi et fuscipiendam et perficiendam momentum habet religio, seu rectus de deo sensus, eiusque cultus. Quocirca qui vera diuinarum rerum cognitione discipulorum animos imbuit, is quam maxime sanitati illorum consulere censendus est. Neque enim tantummodo superstitionem, quæ aut nunquam, aut difficillime depelli potest, profligat, sed etiam impietatem, quæ sapientiæ maxime aduersatur, quaque nihil tuum rei publicæ, tum singu-

lis

tis eius ciuibus, perniciosius est, radicitus euellit. Quumque religio *naturalis* plene atque intime corruptam hominum naturam percurare nequeat: id agunt boni præceptores, vt Christum, salutis consummatissimæ fontem, discipulis suis demonstrent, eosdemque, ipso deo duce, illi tradant persanandos. Felices animos, quibus contigit, a teneris ad imaginem Christi informari!

Quare quum in *scholis* ignorantia, errores, falsæ opiniones et præcipitata iudicia, perturbationes item animi, prauæ cupiditates, malæ consuetudines ac vitia liberorum emendentur ac corrigantur: dubitari non potest, quin illæ sint *ιατρεία τῶν ψυχῶν*.

§. XI.

Sed præfationis limites me iam excessisse video: itaque ad illud, cuius caussa omnis hæc disputatio instituta est, deuenio. Scilicet IOANNE DIETERICO KRVLIO, Coarctore gymnasii Hallensis optime merito, ipsis Nonis Maii laboribus scholasticis simul et mortalium rebus erepto, iacturam schola nostra grauissimam experta est. Vacuæ igitur prouinciæ successor quærendus, et in locum defuncti alius Coarctor surrogandus fuit. Qua de caussa Scholarum collegium, cuius curæ id negotii demandatum est, captis rite consiliis virum clarissimum, nobilissimum doctissimumque, IOANNEM GODOFREDUM TAVSTIUM, classis antea tertiæ præceptorem, consentientibus suffragiis elegit, et Senatui ciuitatis Hallensis Amplissimo vocandum legitime detulit. Huic deinde ex collegio scholastico successit IOANNES FRIDERICVS KLEINWEG, qui
quartum

XVI

quartum adhuc ordinem duxerat, et huic deinceps IOANNE LV-
DOLPHVS HOMEYER, e septima classe ad quartam promo-
tus: viri ambo et doctrinæ et dexteritatis laude condecorandi.

Quibus omnibus rite peractis nihil amplius superest, nisi vt
singuli more maiorum publice inaugurentur. Cui ceremoniæ quum
Senatus Amplissimus diem crastinum præstituerit: ego, ciuitatis Syn-
dicus, hac occasione de *lectione auctorum acuenda inuenum intelli-
gentiæ adcommoanda* dicam; nouus autem Conrector de eo, *quod
Sæcvs est in re secolarum inter Christianos publica*, verba faciet. Qui-
bus sollempnibus ut ciuitatis nostræ procures ac scholarum fautores die
crastino hora II pomeridiana in primæ classis auditorio beneuole inter-
esse velint, maiorem in modum ac perofficiose rogamus.

P. P. Hallæ Magdeburgicæ A. D. XI Sept. c18ccllii.



VD 18

ULB Halle
001 582 542

3



Q. B. V.

SENATUS
CIVITATIS
HALLENSIS
CONRECTOREM


ET SIMVL
TERTIVM ET QVARTVM
COLLEGAS GYMNASII

D. XII. SEPTEMBR. HORA II. POMERIDIANA
RITE INAUGVRANDOS

INDICIT
INTERPRETE

MATTHIA FRIDERICO GADEN

SCABINATVS IN DVCAT. MAGDEB. ADSESSORE CIVITATIS
SYNDICO ET GYMNASII SCHOLARCHA.



HALLAE,

LITTERIS FRANKIANIS.

25

